



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

XI. Vt nullus parochiam alienam praesumat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

ANNO
CHRISTI
397.

te & inconsulto episcopo, complurimis in domiciliis agant agenda, quod disciplinae incongruum cognoscit esse sanctitas vestra. Genedius episcopus dixit: Fratris & coepiscopi nostri dignae suggestioni respondere non immoremur. Ab vniuersis episcopis dictum est: Quisquis presbyter inconsulto episcopo agenda in quolibet loco voluerit celebrare, ipse honori suo contrarius existit.

X.

* Selabitanus

Felix episcopus * Selemfelitanus dixit: Etiam hoc adiicio secundum statuta veterum Conciliorum, ut si quis episcopus (quod non opinamur) in reatum aliquem incurrerit, & fuerit ei nimia necessitas, non posse plurimos congregare; ne in crimine remaneat, a duodecim episcopis audiat, & a sex presbyteris, & a tribus diaconibus, cum proprio suo episcopo. Genedius episcopus dixit: Quid ad hoc dicit sanctitas vestra? Ab vniuersis episcopis dictum est, a nobis veterum statuta debere seruari.

Cod. Can.
12. & 13.

15. qu. 7. Felix 3. qu. 8. Suggestio secundum sta.

XI.

* Abziritanus
al. Abziritanus

Victor episcopus * Abderitanus dixit: Roboranda est ecclesiastica disciplina, ne quisquam episcoporum alterius plebes, vel diocesim sua importunitate pulsare debeat. qui hoc facere tentauerit, quemadmodum coercendus est? Genedius episcopus dixit: Et lex sancta prohibet, & ipsa veritas definit, non debere quemquam aliena concupiscere. Proinde, quid etiam vobis omnibus placeat, propria voce signate. Ab vniuersis episcopis dictum est: Placet, secundum diuinæ legis & sancti euan-

Exod. 20.
Deut. 5. & 7.
Deut. 19.
Ex. 27.
Leuit. 22.

Matth. 5.

geli auctoritatem, vt nemo nostrum alienos limites transgrediatur.

XII.

Nūmidius episcopus * Massylitanus dixit: Alii episcopi vsurpatione quadam existimant, contempto primato cuiuslibet prouinciæ suæ, ad desiderium populi, episcopum ordinare, sine literis ad se primæ cathedræ manantibus, neque postea acceptis. Quid de hoc statuit sanctitas vestra? Genedius episcopus dixit: Quoniam communis est honorificentia, quam vniciuique seruari oportet, id ipsum fraternitati vestræ conuenit pronuntiare. Ab vniuersis episcopis dictum est: Placet omnibus, vt inconsulto primato cuiuslibet prouinciæ, tam facile nemo præsumat, licet cum multis episcopis, in quocumque loco sine eius (vt dictum est) præcepto episcopum ordinare. Si autem necessitas fuerit, tres episcopi, in quocumque loco sint, cum primatis præcepto ordinare debeant episcopum.

Distinct. 31.
Placet omnibus.

XIII.

Genedius episcopus dixit: omnia ergo, quæ a vestro cœtu gloriosissimo statuta sunt, placet ab omnibus custodiri? Ab vniuersis episcopis dictum est: Placet, placet, vt custodiantur ab omnibus. Genedius episcopus dixit: Si (quod non opinamur) ab aliquo fuerint violata, quid statuitis, quod fieri debeat? Ab vniuersis episcopis dictum est: Qui contra suam professionem vel subscriptionem venerit, ipse se ab hoc cœtu separabit. Genedius episcopus dixit: Gratulemur Domino nostro præstante, quod pro statu ecclesiæ catholicæ cuncta